



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

4 De remediis contra causas Distractionum internas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

riorem, temerè cogitando pœnam sibi inflictam esse grauiorem culpa. At potius malim te cum humili de te existimatione, agnoscendo lapsus tuos graui pœna dignissimos, dicere assertiuè, quanto te aduersis distractum, *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.* O dulcissime Domine, confiteor, rãtam cogitationum alienarum turbam, mihi merito cessisse in pœnam, sed longe inferiorem culpa tot vanitatum, & affectionum, quibus non solum quotidie, sed etiam quauis hora & momento anima mea immergitur.

*De remedijs contra causas internas
Distractionum.*

C A P. IV.

MEDICI duo remediorũ genera usurpant contra morbos corporum. Alia enim sunt Præseruatiua, quæ dantur ante morbum, hoc est, ne aditus detur morbo futuro. Alia verò dicuntur Purgatiua, quia purgant & liberant hominem à morbo iam acquisito. Vtroq; genere remediorum vtetur & nos contra hoc perniciosum distractionum malum.

QVOD igitur ad sensus attinet, eorum remedium præseruatiuũ est, vt bene custodiantur

diantur exemplo B. Iob. dicentis. *Pepigi factum cum oculis meis, ne cogitarem quidem de* Iob. 31.
Virgine. & Regis Dauidis, dicētis in psalmis.
Posui custodiam ori meo, ut non delinquam in Psal. 38.
lingua mea & iuxta consilium Ecclesiastici Eccles. 28.
scribentis. Sepi aures tuas spinis, linguam ne-
quem nolis audire. Idem faciendum de ceteris
 sensibus, imitando B. Bernardū, qui contem-
 plationi sic addictus erat, ut vix sensibus
 nisi ad officia pietatis vteretur. Et quoniam
 maximè offendimus oculis, cum per vias
 publicas eundū est, meminisse debes illius
 dicti B. Ephrām in sermone de vita spiri- Tom. I.
 tuali. *Quando è cella egrederis munitos tene* nu. 21.
oculos, sic tecum ratiocinās. Non tanquam pi-
ctor egressus es, ut formas hominum effingere,
atq; exprimere discas. Quod consilium se-
 dulò obseruauit bonus Pater noster Hiero-
 nymus Otellus, qui rogatus quomodo fieri
 posset, ut maneret ignarus viæ publicæ &
 quidem re cæ, nec ita longè quam crebrius
 transierat cōcionis habēdæ causa in Eccle-
 sia Episcopali suæ vr̄bis, respondit, se occu-
 patum esse melioribus rebus in capite suo
 recondendis, quā possit habere ex aspectu
 viarū Idem demū vitio oculorum laborare
 cœpit non exiguo, quod semper demissis in
 terram oculis, ac semiclausis incederet.

R. DE A-

REDEAMVS nunc ad Phantasiam, quam diximus variis modis distrahi, vt cuiq; proprium antidotum tribuatur. Primum est, iam datum sensib. Sicut enim si sub vesperam cito occludantur fenestræ, culices non inuolant in domum, nec dormiētibus sunt molesti, sic si bene custodiantur sensus, facile rerum futilium & impertinentium arcebuntur imagines: idq; eo studiosius faciendum est, quo aditu semel patefacto ægrius contra distractiones irruentes nos tueri possumus, sicut nec à mordacibus istis bestiolis, si fenestræ apertæ maneant. Quamquam has manu captas expellere tandem possumus, illas verò species vix possumus, quia manum in phantasiam immittere nō possumus. ALTERVM remedium est, quamuis Auicenna doceat, naturalem esse phantasie continentem motum, in variis speciebus efformandis, fabricandisq; chymicis tamen B. Thomas addit, eam tam esse subordinatam rationi in homine, vt quodammodo sit capax habitus virtutis, & quod imaginatur, imaginetur ordinatè. *Quamuis etiam, inquit, in ipsis interioribus viribus sensitiuis apprehensiuis possint poni aliqui habitus, secundum quos homo fit bene memoratiuus, vel cogitatus, vel imaginatus.* Remedium

*Auic. 1. de
prin. nat.
Thom. 12.
1. 50. a. 3.*

medium ergo idoneum erit, futilibus istis imaginibus aditum præcludere sedulo. hoc enim studio obtinebitur, ut non occurrant, nisi quando conueniens fuerit. Exemplum habemus in cane, qui latrat, saltat, insanit, quando alligandus est catenæ, sed procedente tempore hæc vincula molestè non fert. Imò quod mirabilius est, longa assuetudine fit, ut fera in retia adacta, licet vicinissimus, eiusq; dilacerandæ cupidissimus, tamen non attingat illam, quia longa consuetudine doctus est non attingere: & tamen in cane phantasia magis belluina est, quam in nobis.

TERTIUM remedium est, etiam si fatendum sit commune esse omnium occasione similium accidentium hominem facile dilabi ab vna cogitatione in aliam, tamen illud quoq; inficiandum non est, naturale non esse nisi hominibus incuriosis, & in seruitio diuino tepescentibus. Experimur siquidem, quando vehementer in considerationem alicuius rei intenti sumus, non facile adrepere alias cogitationes peregrinas, sed tantum quando aliquid de priori attentione remittimus. Pono huius rei exemplum. Riuius aquæ, si lentius per terram decurrat, à quouis foramine vel rima

Ff paula-

paulatim exorberur, donec totus tantum breui tempore deficiat, secus fit, si labatur cum impetu, & vi magna. Remedium ergo sit, attentè aggredi opus, & fortiter illi vni insistere. Quanquam verum est, sicut semper aquæ aliquid, licet vehementi impetu per vias defluat, remanet in occurrentibus rimis vel foueolis, ita etiam nobis accidere posse, nempe vt cum nos mente omnino defixos in rem quam præ manibus habemus, existimamus nonnunquam aliquibus distractionibus minutis aditum patefaciamus, maxime cum nullum violentum, vt dicitur, sit perpetuum.

Vnum adiungam remedium commune omnibus, à S. Thoma alicubi traditum. Vt in mentem reuocemus aliquid vniuersale, vt mortem, iudicium, aliaq; eiusmodi. Vnde si molesta tibi sit passio iræ, & suggerat cupiditatem vindictæ, cogita te rationem strictissimam daturum supremo Iudici, & æternis flammis addicendum. Nec dubium est hoc antidotum esse efficacissimum, ipsa experientia in multis à me probatum: modo illud adhibeatur in iracundiæ ortu primo, antequam transeat in furorem, conuenienter dicto Poetæ. Principiis obsta, sero medicina paratur.

Reme-